

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS TERM, WEEK 6

### 1. Translate:

*The erotic power of poetry.*

hesterno, Licini, die otiosi  
multum lusimus in meis tabellis,  
ut conuenerat esse delicatos:  
scribens uersiculos uterque nostrum  
ludebat numero modo hoc modo illoc,  
reddens mutua per iocum atque uinum.  
atque illinc abii tuo lepore  
incensus, Licini, facetiisque,  
ut nec me miserum cibus iuuaret  
nec somnus tegeret quiete ocellos,  
sed toto indomitus furore lecto  
uersarer, cupiens uidere lucem,  
ut tecum loquerer, simulque ut essem.  
at defessa labore membra postquam  
semimortua lectulo iacebant,  
hoc, iucunde, tibi poema feci,  
ex quo perspiceres meum dolorem.  
nunc audax caue sis, precesque nostras,  
oramus, caue despuas, ocelle,  
ne poenas Nemesis reposcat a te.  
est uehemens dea: laedere hanc caueto.

**(Catullus)**

## 2. Prepare:

*When building the new city of Rome on the Palatine Hill, Romulus offers due worship to the gods and to Hercules, who famously in that very spot had got the better of the thieving shepherd Cacus.*

Palatium primum, in quo ipse erat educatus, muniit. sacra dis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Evandro instituta erant, facit. Herculem in ea loca Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluuium, qua prae se armentum agens nando traiecerat, loco herbido ut quiete et pabulo laeto reficeret boves et ipsum fessum via procubuisse. ibi cum eum cibo uinoque gravatum sopor oppressisset, pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine bouum cum avertere eam praedam vellet, quia si agendo armentum in speluncam compulisset ipsa uestigia quaerentem dominum eo deductura erant, aversos boves eximium quemque pulchritudine caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus cum gregem perlustrasset oculis et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo uestigia ferrent. quae ubi omnia foras versa vidit nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum occepit. inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca bouum vox Herculem convertit. quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus claua fidem pastorum nequiquam invocans morte occubuit.

**(Livy)**